



XΡΥΣΟΜΑΛΛΩΔΙΑ,
SIVE
EQUESTER ORDO
TORQUATOR. AUR. VELL.

CÙM
Basilico ornatu decretis Ritūs honorarii Solemnibus
iterum & quartūm

MORIBUS ANTIQUIS
fungeretur,
OPTIMORUM FORTISSIMORUMQUE
VIRORUM PRINCIPUM
ELOGIIS HEROICIS
CELEBRATUS

æterna Devotione

JOANNE CAROLO NEWEN, Colon. Cæs. Aul. Poët. Laur.
An. Theogoniae MDCCXVI. D. Novemb. XXX. festo S. geniali.

XΠΖΜΑΛΩΔΙΑ
EQUESTER ORDO
TORGUTOR AUR. AET.
MORIBUS ANTIQVIS
OPTIMORUM FORTISSIMORUMQUE
AIRCORVM BRITICVM
ETOGIVIS HISTORICIS
CELESTIBVS
JUVENE GAROLO NEWEN. Cologn. Calv. Ant. Pogg. Tanc.
Anno D. MDCCLXV. D. Maure. XXX. diego. E. Romano.



PRÆFATIO.



E Castor, ego dixi: Dii estis, & Filii Excelsi omnes: omnes Pliniana dictioñis Elogio longe dignissimi, qui in Honoriſ hoc gradu præfulgetis, veluti primæ magnitudinis Sidera. Multum de munere apud me ſolicitus, diſpexi, quid in die Solemnitatis vestræ, & ſi fari fas eſt, in die Sabbathi magni, vobis potiſſimum ſive ex more deferrem, ſive ex officio gratitudiniſ. AUGUSTUS, MÆCENAS, GRATIANUS, THEODOSIUS, ARCADIUS, HONORIUS in nobile argumentum placuerunt Virgilio, Horatio, Ausonio, Claudio; Ego jam, & deinceps conſtanter ampliſſimō veneror affectu AUGUSTUM, & MÆCENATES meos, Nobiliss. Ordinis Equites Torquatos, quibus hoc Donarium, in Mnemosynen ære perenniorē, ex voto fideliter & aeternū dico, dedico, conſecro.

Mihi autem nimis honorati ſunt Amici Tui, CÆSAR AUGUSTISSIME, CÆSARUM AUGUSTE; Ego proinde hac fausta nuncupatione centum lineas quaqua verſum ducam, ut Honoris hoc punctum attinagam: & perpetuā memoriā celebres vigeant Heroës, qui Burgundicum priſci ſplendoris ornamentum induti, Memoriam hodie festorum Solemnum recolunt ſpeciosa ostentationis ambitu, veterique pompa gentium. Olim itaque proximi ibant, quos Persæ immortales vocabant; cultus opulentiae barbaræ non alios magis honestabat: illi aureas Torques, illi veftem aurō diſtinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas; (a) pariter Equites Torquatos, quos Virtus & Honor sydonias chlamydes, & cingula Baccis aspera, gemmatasque Togas induit, vastus meritorum Index, vera Fama, contra oblivionem immortalis vindex, ab interitūs injuriā, in aeterni Decoris afferit ſecuritatem, atque Inclytum hoc Aurei Velleris Sodalitium mirificè tuetur & ornat; quod, utpote à GEDEONE, Israëlitarum Duce, ſacraque THEBÆORUM Legione ortum, PHILIPPUS BONUS, primum Caput Ordinis, sanctissime inſtituit: CAROLUS AUDAX magnifice inſtauravit: MAXIMILIANUS I. & CAROLUS V. novis Honorum Inſignibus adornaverunt: CAROLUS VI. Aug. Domus TRAJANUS, cui plane militat aether, in integrum reſtituit, JASONIS Exemplō, novos legens AEGONAUTAS, qui proprio fulgore & fulgere, radiō & gladiō in Aula, tanquam aeterna dominationis arce, evecti erectique, bona immortalitati jam fœderati, tempus rident, ſupraque vulgum ſpirant, & ceteros ē gloria fastigio, ac veluti de altiori ſcena defiſciunt. Hanc nimirūm indolem herois Animis ipſa amplitudinis ſuę conſcientia inſpirat. Unde exclamat ille:

Tu ſola animos mentemque peruris,

Gloria, Te viridem videt, immunemque ſenecta

Phasidis in ripis ſtantem, Juvenesque vocantem. (b)

Gloria, ut Elephas, decenniō parturit, donec pariat; Aries Burgundo-Austriacus longo experimento, callosaque virtute ad tam illuſtre Decus exercetur.

A 2

Ante

(a) Q. Curt. lib. 3. de geſtiis Alex. m. (b) Valer. Flace. de ſuo Iafone.

Ante ferit, quām Flamma micat: illa scilicet Fax mentis honestæ, illa virilis Animi Amazon, quā plus offert torvæ voluptatis, quām levis gratiæ, antē legitimè certat, quām ad Equestris Honoris Coronam eritatur. Quocirca Torquis Aureus, Pretium non vile laboris, & aeternum possessoris bonum, in Templo Honoris pari, qua pluvia Ancilium, Numæ fasces, Phrygii Leones, Vestalium Ignes, Scævolæ Focus, Brutorum Urceus, Scipionis Afri Clypeus, Tullii consularis toga & sagum, aliisque publici splendoris ornamenti, veneratione honoratur; ac in foro terrarum, ad promeritam EQUITUM famæ celebritatem, jugiter affulget; pulchre profectò Alter:

Dum merita æquantur donis, ac præmia virtus
Sanguine parta capit: phaleris hic pectori fulget,
Hic Torque aurato circumdat laetæa colla. (c)

O magnum Sacrum! ô Honores! ô Heroës, in tabulis fatorum candido notati calculo! qui artibus grandescendi sine nefas (multum interest inter sublimes animos & superbos) factisque magnis honoribus Animis ad Aras, & pulvinaria Deorum promoti, nova sæculi fata conditis, futura temporum enigmatis evolvitis, & totius mundi fortunam uno veluti digito nostis moderari. Vivite felices, Heroës magnanimi, Ampliæ spesi pectora! durate, Statores felicitatis publica! & rebus vosmet servate secundis, Patres Togati, Potestates Aulicæ, & Statu's Optimates! quos nobis velut ad classicum facundus deprendat Arpinas: Optimates ii habentur, qui ita se gerunt, ut sua consilia optimo cuique probentur: sunt hi Principes publici consilii, sunt maximorum ordinum Homines, quibus patet Curia; negotia gerentes integri, sani, bene de rebus domesticis constituti. (d) Me herculè, si vetus Cyneas redeat, & hos Viros, hunc Confessum, hanc Majestatem videat, nihil ambigat vel cum Regibus iterum, vel cum Heroibus comparare.

Macte igitur P. P. Conscript. ornamenti sæculi nostri (ex animo vovimus) estote! Triumphate, in spesi Reique publica Decus & Iutamen, Triumphantores Torquati, Burgundiones Togati, Jasones victores! vobis nau machicum melos acclamamus: sic itur ad astra. Fruere selectâ felicitate Tua, O IMPERATOR NOSTER! per Te nunc redditæ dignitas Equestris: (e) sospite Te floreat triregia Domus Habsburgica, & servata per manus Tuas Austriaca Germania. Hoc præsides Imperii Tui Deos supplex precatus sum: velleribus quæsitus Honos, (f) hæc, inquam, sacra aeternitati Sodalitas, Series constricta catenis Ordinibus geminis, (g) avulso uno, non deficiat altero, AUG. Ordinis EQUITE, & simili frondescat virga metallō. Interèa EQUESTER ORDO, in parendi felicitatem genito Χειροκαλωγεαφω favens fave, ac obsequij gloriam relinque; & ex Divini Ausonia Homeri oraculo: (h)

Dum juga montis Aper, fluvios dum Piscis amabit,
Dumque Thymo pascentur Apes, dum rore Cicadæ,
Semper Honos, Noménque Tuum, Laudésque manebunt.

Salve,

(c) Sit. Ital. de Scipion. munific. (d) Orat. pro Sexto. (e) Mars. lib. 5. epigram. (f) Cland. (g) Lucan.
(h) Eclog. 5.



Alve, festa Dies, meliorque revertere semper,
A populo rerum, digna, potente coli!
Heroës, salvete, EQUITES, graviore cothurno,
Jämque tubâ, meriti, nobiliore cani!
TORQUATI, salvete, DUCES, quos gloria, Phœbo
Æmula, per geminos jactat adusque polos!
Auspiciis vestris prisci Decus Ordinis auctum,
Procerisque humeris grande superbit onus.
Luxuriant pleno gemmata Monilia collo,
Et Dominas scapulas pulcher inaurat Honor,
Prospicuósque sacer vestitus purpurat armos,
Et micat è rutilis lux speciosa togis,
Limbisque auratis, tyrio quos tinxit aheno,
Coccineísque notis ingeniosus Honos.
En, Vellus, Merces, en, primâ digna carinâ,
En spectatorum Tessera lecta virûm!
Usque adeò tantum vix pleraque fæcula fastum,
Ritibus his qui sit párque priórque, vident.
PURPUREI PATRES, nati felicibus astris,
Augustus veteranum Splendor & Ordo virûm,
O ego, Di faciant, talem Te cernere possim
Sæpius, & per Te plus placuisse mihi!
Ista Poëtarum sors est; tunc surgimus omnes,
Fimbria cùm nostrâ tangitur ista manu.
Tu vatem, vatísque melos, gratésque mereris,
Et Tua dum donas, munera nostra capis;
Quæ Tua sunt, nostris largitur gratia Musis:
Quæ mea, sunt clario carmina nata solo.
Permutamus opes, EQUITES, quas parturit Arca,
Quásque suo fundit Calliopea sinu.
Nostra salutavit modò ter vos carmine Musa,
Quæ Ducis Argolici, Musa cucurrit iter:
Cùm legitis priscis commercia scripta tabellis,
Atque animus vester Vatis ab ore stupet; (a)
Ut Grajam Æsonides per inhospita litora Pinum,
Jusserit Euxino pandere vela mari:
Delectósque Duces fragili commiserit Argo,
Quam docuit dubias certa Columba vias,
Cùm peteret Scythicis fulgentia Vellera Colchis,
Vellera barbarico non toleranda lacu;
Taurorum æripedum proflatos naribus ignes
Inter, & insomnis squamea terga Feræ;
Inter & armatam rabiosis dentibus Hydram,
Natáque de diris prælia semifibis,
Quæque referre mora est, quæque est perpessa juventus
Thessala, ad historicam non trutinanda fidem;
Scilicet hic Jason, spoliata Colchide, primum
Velleris Augusti nobilitavit opes.

Ordinis inde Caput, Burgundā stirpe PHILIPPUS,

Quem Virtus voluit Nomen habere Boni,

Dignos in cōtum, Gedeone & Jasone dignum,

Legit, honoratos Marte Togáque Viros; (b)

Námque ratus curas Burgundo Principe dignas,

Si tales mores inderet ingenuis, (c)

Velleris æternos, Duce Jasone, sanxit Honores,

Egregiisque tulit Præmia digna Viris.

Hic cunctos superexstat apex, hæc lambit olympum

Gloria, nec sæclis tot sinit esse parem;

Quam CAROLUS Cæsar renovavit, & ordine primus,

In Circum Magnum, concomitatus, iit (d)

Arduus, ac priscis toties cantata Sybillis,

Aurea de cœlo sacula restituit.

O AUGUSTALES EQUITES, Patrésque Togati,

Jasone prognati, vel Gedeone Duces,

Aureus ille Aries, per tot miracula clarus,

Et præ quo scoriam cuncta talenta putes,

Non fumum exhalat sacri ex fulgore metalli,

Materiamve sui sustinet ille levem;

Quin tribus à sæclis, villò spectabilis aurèo,

Tot Ducibus summus Principibúsque Decor, (e)

Jam dudum Eois laudum præconia metis

Occiduas ultra spargit Atlantis aquas. (f)

Corniger hic nunquam veteri fraudatus honore,

Prodigii orbi claruit usquè sacrīs: (g)

Nimirum primo rerum signatus in ortu,

Et cœlo & terris nobile dogma fuit;

Insper est habitus signi cœlestis imago,

Sub quo Sol blandi tempora Veris agit; (h)

Et sub quo nasci, conspexit sidere Phœbum, (i)

Mortalésque novò Vellere terra tegi.

Præterea Armenias Noachi jugulatus ad Aras,

Propitiis Superis victima prima cadit;

Isaaco factus ceu succedaneus idem,

Sospite pro Gnato quem jugulavit Abrâhm.

Persa Magus certè, cœli solisque Sacerdos,

Tutelam gentis, Vellere pinxit ovis. (k)

Colchidos hinc pignus, velut aspectabile Sidus,

Jugiter implevit solis utramque domum

Famâ immortali; verūm describat Homerus

Cætera, nam nobis non datur ista loqui.

Ergo sub hoc Astro Vellus vetus induat aurum,

Et Torques torvam torqueat invidiam!

Torque suâ emineant EQUITES! hæc gloria nostri

Obsequii: à nobis Torquem EQUITESQUE cani.

(b) A. C. 1430. 10. Jan. Brugis Flandr. (c) PHILIPPUS BONUS hac institutione Jasonem exemplum fecit nobilitati. (d) Ordinis habitu togatus, ad Basilicam D. Protomartyris Lindobona rite publ. processit. A. C. MDCCXII.

(e) Phryxus ob Aureum vellus in magna dignatione fuit apud Colchos, duxisque ipsius illuc regis filiam: item aurei Vellere beneficiorum Atreus Thyesti prelatus in regno adipiscendo. Lucian. (f) Ordo Aur. Vell. jam Indis & Peruanis, orbis universo mirè inclinavit. (g) Ut videre est, Gen. 36. Jud. 6. Job. 31. Ps. 71. &c. (h) Mundus vero Arietis tempore creatus. s. Parr. (i) Aries, nascente mundo, affulxit in medio eccl. Macrobi. (k) Daniel Persorum Imperium Ariete effigie aviss.

TORQUATI AUR. VELL. EQUITES, ORDINE ORDINIS.

IMP. CÆS. CAROLUS VI. P. FEL. P. P.
CAPUT ORDINIS.

Duis simillimus Princeps. C. Plin. Sec. Panegyr. Nerv. Trajan.

I. D. MAXIMILIANUS EMANUEL, UTR. BAVAR. DUX ET ELECTOR.

Si per se Virtus sine Fortuna ponderanda sit, dubito, an bunc Primum omnium ponam; Illi sine dubio Neminem præfero, Fide, Constantia, magnitudine Animi, in Patriam Amore. Æmil. prob. de Thrasib.

II. D. CAROLUS BOROMÆUS, Com.

Admodum speciosa Equestri genitus Familiæ, Gravis, Sanctus, Innocens, Dives. C. Vellej. Pater. lib. 2. de C. Octav.

III. D. EUGENIUS FRANCISCUS, Princ. SABAUDIÆ.

Ducum Maximus, Famâ Fortunâque celeberrimus, & verè alterum Reipublica Lumen & Caput. C. Vellej. Pater. lib. 2.

IV. D. FERDINANDUS PHILIPPUS, Marchio de WESTERLOO.

Inest Illi cum summa Humanitas, tum mira Comitas, magna Authoritas apud omnes, nobile Nomen, laus rei militaris maxima. Æmil. Prob. de Miltiad.

V. D. MARINUS FRANCISCUS MARIA, S.R.I. Princ. de AVELLINIS.

Disertus, Acer, Opibus, Gratiâ, Amicitiis, vigore Ingenii & Animi celeberrimus. C. Vellej. Pater. de P. Sulpic.

VI. D. CAROLUS PHILIPPUS, COM. PALATIN. ET ELECTOR.

Virtuti simillimus, & per omnia Ingenio Diis, quam Hominibus propior. C. Vellej. Pater. lib. 2.

VII. D. ALOYSIUS THOMAS RAYMUNDUS, S. R. I. Com. ab HARRACH.

De quo Viro hoc omnibus sentiendum ac predicandum est: esse Mores ejus Vigore ac Lenitate mixtissimos, & via quamquam reperiri posse, qui facilis sufficiat negotio, & magis, qua agenda sunt, curet, sine ulla ostentatione agendi. C. Vellej. Pater. lib. 2.

VIII. D. ANTONIUS FLORIANUS, S. R. I. Princ. de & in LIECHTENSTEIN.

Plerisque Dotibus Corporis atque Animi ornatus: vultu decorus, Corpore erectus, Eloquentia promptus, Ingenio & Memoria validus, Lepore & dictis etiam facetus, atque omnia cum Regio quodam Decore & Majestate; accessit Virtutum studium in Toga & Bello, Animi magnitudo, & Liberalitas. J. Lips. de Alex. M.

IX. D. JOANNES LEOPOLDUS DONATUS, S. R. I. Princ. TRAUTHSON.

Virtutis Nobilissime, Labore, Vigilantia, Periculo invictus, & per omnia extra dilaciones positus, consultisque facta conjungens. C. Vellej. Pater. lib. 2. de M. Agrip.

X. D. ERNESTUS FRIDERICUS, S.R.I. Com. de WINDISCHGRÄTZ.

Hic nobilissimā genitus Familiā, Formā omnium Civium Excellentissimus, Vigore Animi acerrimus, Munificentia effusissimus, Animō humanam & naturam & fidem erectus, magnitudine cogitationum, celeritate agendi, omniq[ue] Virtutum genere laudatissimus. C. Vellej. Pater. lib. 1. de P. Scip. Afric.

XI. D. LEOPOLDUS, Dux de AREMBERG.

Vir neque silendus, neque dicendus sine cura, Bellō acerrimus, Virtute eximius. C. Vellej. Paterc. lib. 2. de Mithrid. Pont.

XII. D. MICHAEL ANGELUS, Dux de VASTO.

Elegans Liberalium Studiorum, omnisque Doctrina & Admirator, & Fautor. C. Vellej. Paterc. lib. 1. de P. Scip. Afric.

XIII. D. RAYNALDUS, Dux MUTINÆ.

Nobilitate, Opibusque ante alios: Regium illi Genus, & Pace Bellōque clara Origo. C. Tacit. lib. 4. Histor. c. 55.

XIV. D. VINCENTIUS GONZAGA, Dux QUASTALLÆ.

Vir in tantum laudandus, in quantum intelligi Virtus potest. C. Vellej. Paterc. de L. Æmil. Paul.

XV. D. EMANUEL, Dux SABAUDIÆ.

Stirpis Excelsa, Formā Excellens, non ea, qua Elos commendatur etatis, sed ex dignitate constanti: qua illam conveniens Amplitudinem, Fortunam quoque ejus comitatur. C. Vellej. Paterc. lib. 2.

XVI. D. WENCESLAUS NORBERTUS, S.R.I. Com. KINSKY.

Natus ad omnia, quæ recte facienda sunt, simpliciique Virtute merens semper, quād captans gloriam. C. Vellej. Paterc. lib. 2. de Flacc. Pomp.

XVII. D. PHILIPPUS LUDOVICUS, S.R.I. Com. de SINZENDORF.

Singularis quedam Laus ejus, & præstabilis Scientia, in Fæderibus, Pactionibus, Conditionibus Populorum, Regum, Externarum Nationum, in universo denique Belli Jure ac Pacis. Cic. pro Balb.

XVIII. GUNDACARUS THOMAS, S.R.I. Com. de STAHERNBERG.

Qui nunquam recte facit, ut facere videatur, sed quia aliter facere non potest; cuique id solum visum est Rationem habere, quod habet Jusitiam; omnibus humanis vitiis immunis, semper Fortunam in sua potestate babuit.

C. Vellej. Paterc. lib. 2.

XIX. D. CAROLUS JOSEPHUS, S. R. I. Com. de PAAR.

Vir Vitâ innocentissimus, Ingenio florentissimus, Proposito sanctissimus, tantis denuo que adornatus Virtutibus, quantas perfecta & Naturâ & Industriâ mortalis Condicio recipit. C. Vellej. Pater. lib. 2. de Tib. Grach.

XX. D. RUDOLPH. SIGISMUNDUS, S. R. I. Com. de SINZENDORF.

Splendido Genere natus, Vir, ubi res vigiliam exigit, sanè Exsomnis, providus, atque agendi sciens. C. Vellej. Parerc. lib. 2. de C. Mæcenat.

XXI. D. MICHAEL JOANNES, S. R. I. Com. ab ALTHANN.

Vir Avitis Paternisque Virtutibus simillimus, omnibus Belli ac Toge dotibus, Ingeniique ac Studiorum Eminentissimus seculi sui, qui nihil in vita, nisi laudandum, aut facit, aut dicit, aut sentit, C. Vellej. Paterc. lib. 1. de P. Scip. Æmilian.

XXII. D. FERDINANDUS de SYLVA, Com. CIFUENTES.

Vir Antiquissimi Moris, & priscam Gravitatem semper Humanitate temperans. C. Vellej. Paterc. lib. 2.

XXIII. D. ADAMUS FRANCISCUS CAROLUS, S. R. I. Princ. à SCHWARTZENBERG.

Vir Nominis ac Fortune Eorum proximus, quem, in quantum quisque aut cognoscere, aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque Nomini, quibus Ortus est, Ornamentum judicat. C. Vellej. Paterc. lib. 2. de M. Lepid.

XXIV.

XXIV. D. NICOLAUS, S. R. I. Com. PALFFY.

Genere glorioſſimas veteresque complexus Familias, Vir Severitatis letiſſima, Hilaritatis priſca, Vultu Vitaque exſomniſ. C. Vellej. Pater. lib. 2.

XXV. D. VINCENTIUS, Com. OROPESA.

Virtutis nomine & Honore par omnibus, ſummuſque, ſi Viros aſtimes, Hispanie Decus. L. Flor. lib. 2. hiftor.

XXVI. D. VIRICUS LAURENTIUS, S. R. I. Com. DAUN.

Dux Bellō peritiſſimus, Civis in Toga (niſi ubi vereretur, ne quem baberet parem) modeſtiſſimus. C. Vellej. Paterc. lib. 2.

XXVII. D. JOSEPHUS LEOPOLDUS, Princ. BISIGNANIUS.

Illuſtri magis, quam nobili ortus Familia, Vir Ingenio mitis, Moribus quietis, Corpore & Animō immobilior. C. Vellej. Paterc. lib. 2. de Var. Quintil.

XXVIII. D. Com. CONTELLAS.

Aliquando Fortunā, ſemper Animō maximus, confiliis Dux, Miles manu.

C. Vellej. Paterc. lib. 2. de Mithid. Pont.

XXIX. D. JOANNES BAPTISTA, Com. COLORO

Modetiā, labore, vigilantiā Dux, & Legatus, & Miles. C. Plin. ſec. paneg. Nerv. Trajan.

XXX. D. Princ. SANCTI SEVERI.

Natalium dignitatem, Honorum decora, & Inſignia vindicavit.

L. Flor. lib. 1. Histor.

XXXI. D. CAROLUS ADALBERTUS, Princ. Electoral. BAVARIAE.

Innutritus cœleſtium Praeceptorum disciplinis, juuenis Genere, Formā, celsitudine Corporis, optimis ſtudiis, maximōque ingenio instructiſſimus, qui protinus, quantus eſt, ſperari potuerat, vultusque prætulerit Principem.

C. Vellej. Paterc. lib. 2.

